



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De exilio & reditu sancti Liberij. Cap. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

an tecum constitueris, quæ ad locum transferri placeat. LIB.  
 Spatium trium dierum, aut mensium ratione non mutat. Quare  
 mitte me, quo lubet. CONST. Post biduum, cum iudicium ha-  
 bitum fuerit de Liberio, si consilium non mutet, exulet velim  
 usque; Beroeam Thraciae. Liberio inde decedenti Imperator  
 misit in sumptum quingentos aureos. Liberius autem ei, qui at-  
 tulerat, dixit: Abi domum, & istos ipsos aureos redde Impe-  
 ratori. Siquidem eis opus habet ad militum stipendia. Impe-  
 ratrix itidem misit ei totidem. Quos eum, qui apportauerat,  
 iubet quoque Imperatori tribuere. Sunt enim, inquit, illi ad  
 militare expeditionem necessarii. Quod si is eorum non in-  
 digeat, det Auxentio & Epicteto. Nam illi eisdem egent. Po-  
 stea vero quam istos recusauerat aureos accipere, Eusebius  
 Eunuchus, alios ei affert. Ad quem Liberius: tu, inquit, eccle-  
 sias orbis terrarum expilasti, & iam mihi ut damnato, egentique;  
 affers eleemosynam. Abi primum, & Christianus ipse fias.  
 Ac triduo confecto, Liberius nulla accepta pecunia, in exi-  
 lium mittitur.

*De exilio & reditu sancti Liberij. CAP. XVII.*

**I**STE strenuus veritatis propugnator & victor illustris  
 Liberius, Thraciam, sicut erat ei imperatum, recte contem-  
 dit. Biennio dilapso, Constantius proficiscitur Romam. Ma-  
 gistratum autem & nobilium coniuges, orant maritos, ut a Con-  
 stantio supplices petant, uti pastor Liberius suo gregi red-  
 datur: seque; nisi eum exoraret, deserturas eos, & ad egregium illum  
 pastorem conuolaturas. Quibus responderunt mariti, se non  
 parum Imperatoris iram extimescere: & cum viri sint, nullam for-  
 tasse veniam ab eo impetraturos. Quod si vos ipsa Imperato-  
 rem pro Liberio deprecari volueritis, est vobis plane con-  
 donaturus: atque; è duobus alterum eueniet, ut vel vestra vo-  
 bis sit concessurus postulatione, vel si minus ad id faciendum  
 adduci possit, vos illesas dimissurus. Quo consilio audito,  
 prestantes illae feminae, splendide, ut solent, & magnifice  
 amictu, accedunt ad Imperatorem, ut eas ex vestitus splen-  
 dore nobiles illustresque; esse arbitratus, tum reuerentia erga  
 ipsas, tum clementia utendum existimaret. Quae cum  
 hoc modo ornatae ad eum aduentassent, orant, ut vobis  
 pastore orbatae, & luporum expositae insidiis misereatur.

Quibus

## THEODOR. HISTOR.

Quibus respondet Imperator, altero pastore ciuitati non opus esse, quippe cum haberet vnum, qui ei posset prouidere. Etenim successum est Liberio à fideli quodam illius diacono, nomine Felice: qui tametsi fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis, qui eandem labefactare studebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in ecclesiam, dū ille intus erat, ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori significarunt. Qua causa sic inflectebatur Imperatoris animus, vt pastorem illum longe præstantissimum Romam redire, vtrosque communiter inter se ecclesiam illam regere iuberet. Itaque lectis Imperatoris in circo literis, plebs clamat, æquam esse Imperatoris sententiam. Nam bifariam diuisos esse spectatores, quibus nomē impositum est ex colorum varietate: & propterea alterum episcopum his, illis alterum præesse debere. Itaque cum hoc modo Imperatoris literas irrisione lusissent, omnes vno ore vociferantur: Vnus Deus, vnus Christus, vnus episcopus. Has enim voces emittere rectum esse censebant. Quibus vocibus cum pietate & iustitia à pia plebe profusis, rediit Episcopus Liberius. Felix autem clam Roma se subducens, ad aliam urbem migravit. Ista quidem historiæ de concilio episcoporum Mediolani celebrato, narrandi ferie seruata, attexui. Iam igitur ad rerum gestarum ordinem reuertor.

### *De Ariminensi Concilio. CAP. XVIII.*

**F**idei igitur propugnatoribus expulsis, illi, qui Imperatoris animus, quo vellent, impellere potuerunt, quoniam fidem sibi suæq; sectæ aduersariam se perfacile labefactare posse censebant, & doctrinam Arii confirmare, persuadent Constantio, vt concilium episcoporum tum orientis, tum occidentis Arimini cogeret: mandaretque vt hæ voces, *SVBSTANTIA*, & *CONSVBSTANTIALIS* (quæ tanquam machinæ quædam ad perniciosam Arii & fraudulentam sectam expugnandam à patribus erant excogitatæ) ex fidei formula tollerentur. Ex his enim dissensionem in ecclesias inuectam dicebant. Posteaquam autem episcopi Arimini conuenerunt, illi qui macula Ariani erroris erant aspersi,